









Praes. num. 62

9

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

SISTENS

MEDITATIONES QUASDAM 1776 3

DE

SENTENTIIS ET RE IUDICATA.

INTUITU

PRINCIPIS AC LEGIS NOVAE.

QVAM

AVCTORITATE INCLYTAE FACVLTATIS IVRIDICAE

IN ACADEMIA BVETZOVIENSI

PRAESIDE

DNO. IOANNE MATTHIA MARTINI,

I. V. D. ET PROFESSORE P. O,

SERENISS. DVICIS MEGAPOL. A CONSIL. IVSTITIAE,

ORDINIS IVRIDICI SENIORE ET AD HVNC

ACTVM DECANO

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

DIE VI. SEPTEMBRIS MDCCLXXVI.

HORA ET LOCO CONSVETIS

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR

ADOLPHVS DIETERICVS WEBER,

ROSTOCHIENSIS

I. V. C. ET DVCALIS CANCELLARIAE ROSTOCH.

ADVOCATVS ORDINARIVS.

BVETZOVII,

MDCCLXXVI.





DISSELTIO INNOVARIIS IN  
SISTENS  
MEDITATIONES QUASDAM  
DE  
SENTENTIIS ET REVICATA  
IN  
PRINCIPIS AC LEGIS NOVAE

ACTONATE INCLIAE FICHTATE WIKOAE  
IN ACADEMIA BRETOLINENSIS

DNO. IOHANNI MARTINI  
L. D. ET PROFESSORI P. O.  
SERENISS. DUCIS MAGNOL. A. GOSIOL. VASSALAE  
ORDINIS IURIDICORUM ET AD HUNC  
ACTUM DECANS

PRO OBTINENDIS  
SCIENTIIS IN IURE HONORARIIS  
DIE VI SEPTEMBRIS MDCCXXVI  
L. O. H. A. P. O. C. O. N. S. I. L. I. U. M.  
P. R. A. E. S. I. D. E. N. T. I. A. M.

ADOPRHVS DIETRICVS WEBER  
P. R. A. E. S. I. D. E. N. T. I. A. M.  
L. D. O. C. T. O. R. I. S. C. O. N. S. I. L. I. U. M.  
A. D. V. O. C. A. T. U. S. O. R. D. I. N. A. R. I. U. M.

BRETOLIN  
M D C C X X V I








§. I.

*Ingressus, et ordo dicendorum.*



Res iudicatas abrogatione et mutatione legum, vel statutorum. quibus innituntur, euanescere, e regula: *cessante causa cessat effectus*, patere videtur. Tantum autem abest, ut eiusmodi opinioni simpliciter accedendum, ut potius dubiorum cumulus intercedat. Notum immo notissimum enim est, rem iudicatam aliter respectu Legislatoris, aliter iudicis, aliter partium se habere. Ratione iudicis et partium consistit in obedientia erga Legem, et praescripta superioris, pro sua persona istis ira soluti, ut quidem Legem mutare quam liberrime, attamen ius, ex *Lege quaesitum*, vel rem iudicatam inde natam in genere auferre possit nemini. Quapropter intuitu Legislatoris, novam legem condentis, inter negotia praeterita, et futura, probe distinguendum. Ex quibus digito quasi monstratis, et enarratis dubiis quisque concedet quam facillime, dictam opinionem nude et simpliciter, haud amplectendam; sed potius ulteriori disquisitioni esse submittendam. Hinc Tibi B. L. aliqualis haecce pertractatio, siue contemplatio-





nes quaedam de collisione rei iudicatae cum Lege noua, quas Tuo prudentiori, attamen placido examini ac iudicio officiosissime subiicio, non displicebunt. Ordo dicendorum erit, vt, praemissis generalibus quibusdam de re iudicata et Lege noua, nec non de obligatione, quae vel Lege contrahitur, vel tollitur, monstretur, quomodo res iudicata, ac obligatio, ex Lege priorina nata, propter Legem subsequutam euanescat vel non.

## §. II.

### *Generalia de re iudicata ad scopum facientia.*

Sententia in genere considerata, est *pronunciatum eius, cui causae controuersae cognitio et decisio, Legibus vel statutis conformiter facienda, competit; quo sensu sub se comprehendit.*

1) laudum arbitri, et decisum commissarii, prout patet ex rubro Tituli Pandectarum; de receptis, et qui arbitrium receperunt, vt *Sententiam* dicant.

2) Interlocutionem meram, qua nimirum modus solum procedendi praescribitur; quem significatum deprehendimus in L. 18. C. de fide Instrum.

3) in sensu specialiori, nostro scopo potius inseruiente, denotat sententia; *Pronunciatum iudicis, quo causa controuersa Legibus et statutis conformiter deciditur.*

Effectus autem Sententiae, si in rem iudicatam transit, nec remedio quodam suspensiuo ulterius impugnari potest, in eo consistunt, vt sententiae stetur simpliciter, ac pro veritate accipiat a), faciatque ius inter partes b) idque irrettractabile c), novamque causam debendi, quoad litem motam, constituat, immo

nec



nec iudex eiusue successores eandem corrigere possint; d) denique vt *regulariter nullo modo retractari possit.*

- a) L. 207. D. de reg. jur.  
I. 25. D. de statu hominum.
- b) L. 50. §. 1. D. de Legatis I.  
L. 65. §. 2. D. ad S. C. Trebell.
- c) L. 23. §. 3. D. de cond. indeb. Cap. 13. X. de Re iudic.
- d) Struv. exerc. 44. §. 11.
- e) Breuissimis, at eleganter, casus, qui exceptionem ab hac regula formant, recensuit *Strocherus disquisit. iurid. de remediis contra sententias, quae in rem iudicatam transferunt.*

### §. III.

#### *Sententiam fert iudex competens.*

Sententia causam controuersam decidit. Decidere autem est, *mediante Legum ad facta adplicatione, statuere, quid intuitu litis motae legibus conforme, vel quaenam obligatio legalis inde nata sit.* Quum vero hunc in finem iudicem oporteat, factum accurate examinari, siue *causam cognoscere*, hoc autem solum iudici competenti indulgendum: sequitur omnino, neminem, nisi eum, cui a superiori concessa est iurisdictio, lites dirimere debere. Sic potestas ferendi sententias inidem, ac Leges ipsae, a Superiori dependant, eiusque auctoritate ita subnituntur, vt Sententiae vel res iudicatae, solum ex voluntate et praescripto superioris, quoad litem motam ius inter partes faciant atque constituant. Potestas Legislatoris, et ordinatio iurisdictionum et iudicum, est igitur principium obligationis rerum iudicarum.



*De obligatione legali et rerum iudicatarum.*

Iam vero ex ipsis Legibus constat, omnem obligationem consistere in iuris vinculo, quo necessitate adstringimur secundum nostrae civitatis iura. a) Et lege nos obligari, quum obtemperantes legibus, aliquid secundum praeceptum legis, vel contra fecimus. b) Quum igitur Imperator principium obligationis ex Legibus et praescriptis fluere, ac rursus eo refluxere significauerit, mirum sane est, abrogationem et mutationem legis nullibi inter modos tollendi obligationem relatum esse. Frustra evoluitur et relegitur Tit. Institur. *Quibus modis tollitur obligatio*; Nulla ibidem sublationis obligationum, per Legem nouam factae, fit mentio, nisi huc referatur praeceptum ac monitum, quod in rebus nouis constituendis evidens esse debeat utilitas, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est. c) E contrario autem, quoad obligationem legibus perfectam, clare dictum est, totum ius consistere, aut in acquirendo, aut in conseruando, aut in muniendo, aut etiam hoc agi, quemadmodum cuiusque fiat, aut quemadmodum quis rem, vel ius suum conseruet, aut quomodo alienet, vel amitat. d) Secundum hoc principium atque praescriptum itaque tunc trutinandus est Sententiarum habitus, ac quomodo ius, ex illis quaesitum, intuitu Legislatoris et Superioris, nec non iudicis et partium litigantium, item status publici, conseruetur, muniatur, et inuicem haud amittatur.

a) Pr. I. de obligat.

b) L. 52. §. 6 D. de O. et A.

c) L. 2. D. de Conffit. Princ.

d) L. ult. D. de LL.



## §. V.

*De Sententia Criminali intuitu Legislatoris.*

Sententiam actis conformem criminalibus continere vel publicam vel priuatam satisfactionem, siue poenam tam capitis, quam carceris, vel corporis vel bonorum afflictiuam, dubio plane caret. Quod eo magis attendendum, quo certius constat, aliter rem se habere, si sententia vel res iudicata publicam, aliter si priuatam comprehendit satisfactionem. Priori casu Princeps et Superior arbitrio in genere utitur liberrimo, poenas et satisfactionem publicam remittendi, et Legum anteriorum duritiem vel in totum abrogandi, vel in casibus singularibus ex bene placito mitigandi. a) Quo sensu etiam in Legibus Romanis accipitur abolitio, b) quae in vernacula enunciat, eine Sache vertilgen, abthun, aufheben, cassiren etc.

a) Tit. D. et C. de Sentent. passis et restitutis.

b) L. 12. D. ad S. C. Turpill, ibi: *interueniente publica abolitione ex Senatus Consulto.*

## §. VI.

*Porro de Sententia criminali intuitu Legislatoris quoad Satisfactionem publicam, et Principis interesse proprium.*

Licet Principi et superiori ius remittendi poenas, et indulgendi abolitionem, *ex nuda gratia* in genere competere certum sit, attamen et haec regula exceptionibus haud negligendis, vel spernendis nullatenus caret. Dispersuntur enim poenae vltimus ita, vt partim ius diuinum, partim interesse et commodum iudicis



cis patrimonialis, si poenae sint pecuniariae, in compensationem onerum iurisdictionis, praesertim criminalis, concernant. Uterque obseruationibus, haud praetermittendis, abundat casus.

### §. VII.

#### *De remissione poenarum iuris Diuini.*

Intuitu enim remissionis poenarum iuris diuini immensus patet campus, qui saepenumero est difficilior aditu in Corinthum, interdum periculosam. Quaestionem hanc quondam discussit Christ. Thomasius, a) mirum in modum contendens, eam non theologiam vel politicam, sed nude iuridicam esse, et in remissione poenarum iuris diuini non agi de eo, quid sit iustum vel iniustum intuitu salutis aeternae, sed tantum de facultate aboliendi in hac vita. Diuino funguntur Principes et summi imperantes officio. Faciant, quod Deo omnipotenti placet, nec conferant beneficia indignis. b) Exemplum Dauidis Regis Israelitarum, cui poenam ipse remisit Deus, notari dignissimum est.

- a) In Dissert. de iure aggratiandi Principis Evangelici in causis homicidii Cap. I. §. 14.
- b) Huc collineare quoque videntur, quae leguntur in b. I. H. Boehmeri consultationibus et decisionibus Tom. III. P. I. Resp. 119. vt et in b. Henrici de Cocceii consiliis et responsis Tom. III. Resp. 89. Lectu dignissimum est rescriptum Regis Magnae Britanniae Georgii II, cuius extractum nobis exhibet b. *Struben in den rechtl. Bedenken* Tom. II. *Bedenken* 118. pag. 468. „Wir tragen nun um so mehr Bedenken, die Bignadigung des Inquisten auf das bloße Ansuchen seiner Ehefrau zu resoluiren, da unsere dortige Iustiz-Canzzelle die, für imen von dem defensore ange-



angeführte momenta, nicht zulänglich erkannt, die, wegen der Pferde-Diebstähle vorhandene, und auf die securitatem publicam abzielenden Landes-Verordnungen klar sind, und die auf bloße Prouocationes der Inquisten vnd ihrer angehörigen erfolgenden Begnadigungen, Misbräuche vnd Behelligungen nach sich ziehen. Gleichwie wir es demnach bey dem Erkenntnis vnserer dortigen Justitz-Canzley in dem gegenwärtigen Vorfall bewenden lassen, also ist auch vnser gnädigster Wille, das hinführo, wenn so wenig, wie ictzo einige besondere Vmstände, die vns zur Begnadigung bewegen könnten, vorhanden sind, dergleichen Prouocationes nicht zu attendiren, sondern es bey dem Erkenntnis der Justitz-Collegiorum gelassen werden solle. Effatum Rege sapientissimo dignum, et facile recteque a minori ad maius fit conclusio.

### §. VIII.

*De Remissione poenarum, ipsi principi, vel tertio competentium.*

Siquidem autem cuilibet priuato, suis commodis renunciare licet, ita multo magis Principi eadem facultas, quoad poenas et interesse proprium tribuenda. Huc pertinet abolitio et aggravatio. Abolitio mihi est *sublatio et cassatio causae criminalis ante cognitionem, vel ea durante, ante Sententiam et decisionem, ex plenitudine potestatis facta.* Aggravationem autem dico *condonationem, remissionem vel mitigationem poenae per Sententiam iam definitae.* Qua distinctione motus, facile quisque concedet, abolitionem inquisitum aut accusandum vel in totum, vel in tantum, praestitis expensis, haectenus propter indicia, ad instruendam et probandam





dam causam erogatis, liberare, causamque penitus tollere. E contrario autem, aggratiationem inquisito *condemnato* id solum tribuere, quod in litteris gratiae expresse remissum est. Interesse et commodum tertii aggratiando non diminuitur, et Princeps suo commodo et satisfactioni tantum renunciaisse creditur, quum nemini ius *quaesitum*, bene autem *quaerendum* auferre possit. Sic accusatores et fiscales, nec non iudices, *propriam* iurisdictionem, a Principe haud *mandatam*, habentes, expensas et sumtus in casu abolitionis, recte repetunt. Quod etiam in litteris gratiae ita saepius exprimitur, *iedoch daß der Begnadigte die bisherigen Gerichts-Proceß- vnd andern Kosten zu erstatten habe*. Idem tunc quoque obtinet, si in causa fiscali poena pecuniaria, iamiam accusato dictata, a Principe remittitur, at *fiscalis* iure hoc gaudet, vt certa poenae cuiuscunque per sententiam irrogatae pars, veluti tertia vel quinta, eidem, tanquam emolumentum ordinarium, vel salarii pars sit soluenda. Sic et poena pecuniaria in praeiudicium Iudicis patrimonialis a Principe remitti nequit, nisi ex iustitia causae vi supremae fiat inspectionis.

### §. IX.

#### *De Lege noua Sententiam et causam criminalem tollente.*

Idem pene dicendum, si lege noua vel id, quod ante illam, vi legis anterioris pro delicto reputandum, et prohibitum erat, permittitur, vel poena legis veteris mitigatur, aut plane e medio tollitur. Si hoc ante causae cognitionem, vel ea durante, ante sententiam executam contingit, et sic lex noua, re adhuc integra, superuenit; accidere potest, vt respectiue vel euanescat causa criminalis, vel etiam, ope nouae defensionis, eo *facilius prior* im-



impugnetur sententia, quo certius in criminalibus mitior semper praeualeat decisio, et lex noua, qua mitigantur, vel in totum tolluntur poenae, instar aggratiationis esse videtur generalis; atamen sumtus, in cognitionem et processum haftenus erogati, modo secundum legem abrogatam indicia adfuerint sufficientia, sunt refarciendi, ne tertius, nimirum fiscalis, vel accusator, vel iudex, propria gaudens iurisdictione, damnum inde patiatur. Nouissima huius doctrinae exempla eueniebant, quum Serenissimus Dux Megapolitanus, clementissime regnans, vsum torture parrim in totum abrogabat, parrim restringebat. Qua publicata constitutione sapientissima, sententiae criminales, torturam iniungentes, ast non executae, vi atque effectu carebant; praesertim quum tortura ad modum probandi in criminalibus tantum pertineat.

### §. X.

#### *De abolitione et aggratiatione, respectu iurium privati quaesitorum, Continuatio.*

In antecedentibus §§phis saepe dictum, per abolitionem interesse tertii laedi non posse; quum suo quidem iuri, non autem alterius summus renunciare possit imperans. Contendunt etiam ICti, causae cognitionem prosequendam, vel etiam de nouo, quamuis non ad effectum satisfactionis publicae, instituendam esse, si abolitio a Principe fuerit impetrata, antequam tertio ratione interesse privati satisfactum. a) Quibus omnibus addendum, *Principem solum* abolitionem et aggratiationem discernere posse, ast magistratus municipales illo iure non gaudere; nisi in sensu latissimo huc referas remissiones poenarum, *ex capite iustitiae*, praecua ulteriori deductione innocentiae, imper-



tiendas. Eiusmodi poenarum remissiones ex causa iustitiae autem longe differunt ab abolitione et aggratiatione, *nuda gratia ex plenitudine potestatis data*, quae magistratui municipali, ut iudici tantum nullatenus competit. Ex his pronò igitur fuit alueo, iurisdictionem omnimodam cum punitionibus et remissionibus civitati concessam, vel ab ea acquisitam, solum continere id, quod ex causa iustitiae, non vero id, quod ex mera gratia, et ex plenitudine potestatis perficiendum. Prius cuiusque iudici incumbit, posterius autem est regale Principis indubitatum, quod ad iurisdictionem nequaquam extenditur. Licet enim haec cum omnibus attinentiis, punitionibus, et remissionibus acquisita fit, permanet tamen tantum iurdictio, quae solum facultatem iuris dicendi in causis controuersis, nequaquam vero ius abolendi vel aggratiandi, tanquam maius, et a iurisdictione essentialiter diuersum regale tribuit. b)

a) Wildvogel in Dissert. de abolitionibus et iure tertii circa eas §. 34. seqq.

b) Mev. P. III. Dec. 101, n. II. in not. Idem Part. VI. Dec. 252, lectione dignissima. Boehmerus consult. et Dec. Tom. III. P. I. conf. 119. num. 22. ita scribit: *Wir dahero, wenn wir in thesi die potestatem dispensandi einem Landesherrn in homicidio do. lofo einräumen, solches nicht anders, als aus großen, erheblichen Ursachen verstehen, die doch aber so beschaffen sein müssen, daß ein iudex ordinarius daraus an und vor sich selbst auf keine mitigationem poenae nach den regulis iustitiae fallen können, als welcher ut minuter legum stricte bey denen vorgeschriebenen Gesetzen verbleibet.*

L. II. pr. L. 13. de poen.

Quae verba apprimè faciunt ad illustrationem hactenus dictorum.  
§. XI.



§. XI.  
*Transitus ad Sententias in causis ciuilibus, iuncta distinctione, inter Sententias, quae simpliciter iura et Dominia priuatorum, et quae simul formam et salutem reipubl. concernunt.*

Quibus praemissis, iam progrediendum ad effectum sententiarum in causis ciuilibus, intuitu superioris sine Principis, nec non magistratum ciuitatum, statuendi iure praeditarum. Siquidem enim Principes, legibus soluti, a) liberrimo gaudent arbitrio, priores mutandi leges et constitutiones, b) ita e contrario magistratibus municipalibus (de magistratibus ciuitatum Imperii mihi plane non est sermo) in statuendo et abrogando haud eadem competit facultas. Statuta nimirum sunt leges conuentionales, quas pro lubitu tollere magistratibus municipalibus non indulgendum, vt porius ciuium consensus requiratur, nec statuta, nisi mutuo placito, quo inualuerunt, dirimenda, aut ad implorationem eius, cuius interest, a Principe, vi iuris supremae inspectionis et reformandi corrigantur et emendentur, aut in totum e medio tollantur, qua facultate Principes recte vtuntur, praesertim si statuta sint irrationabilia, statui publico nociua, vel ad minimum ei haud congrua. Tempora enim et facies rerum publicarum mutantur, et nos mutamur in illis —. Magna itaque, ratione causarum, inter sententias intercedit differentia, legibus ipsis haud incognita. c) Partim enim causae et sententiae simpliciter iura et dominia priuatorum, per se talia concernunt, partim autem, licet causae sint priuatae, et inter priuatos decisae, attamen ad formam reipublicae eiusque commodum in tantum pertinent, in quantum sunt politicae, d) et





negotia et commercia subditorum ordine et conuenienter fieri debent.

- a) L. 48. D. de V. S. Libertas Principis, eiusque plenitudo potestatis perbelle ibi indigitatur his: *Qui neque sequitur, neque ducitur.*
- b) L. 31. D. de L. L.
- c) L. I. §. I. et 2. D. ne quid in loco publico etc. ibi: *Hoc interdictum prohibitorium est, et tam publicis utilitatibus, quam priuatorum prospicitur.*
- d) Schreiber in Dissert. de causarum politiae et earum, quae iustitiae dicuntur, conflictu et differentia.

## §. XII.

*De Sententiis iura, facta et dominia priuatorum, absque relatione ad rempublicam concernentibus.*

Supra (§. I. et 2.) iam monitum atque edoctum est, sententias, in causis ciuilibus latis, noua lege non euanescere, sed potius ius inter partes, nouamque obligationem constituere. Constat enim, nec Principem alicui ius, quod semel est nactus, auferre posse. Paret porro, legem nouam ad futura, haud uero ad praeterita pertinere. Si itaque priori rei iudicatae lex obstat noua, vel cum ea ita collidit, ut unius positio alterius sit exclusio, in eiusmodi conflictu respiciendum est, tam ad superiorem, leges nouas condentem liberrime, quam ad rei iudicatae auctoritatem, et inde narum ius quaesitum inter partes, quod illis, si simpliciter ius, vel dominium *priuatorum*, non autem simul statum *publicum* et ordinem rei publicae attingit, absque iniuria haud auferendum. Sicuti enim res iudicata litigantes tantum,



tum, haud vero Superiorem obligat, nec ei facultatem, novas praescribendi leges adimit: ita in genere statuendum, sententias, inter alios latas potestati legislatoriae non obstare, et conflictum inter nouam legem, et rem iudicatam, tantum ratione quaestionis, in quantum lex posterior ad praeterita trahi ac extendi queat? existere posse.

### §. XIII.

#### *Num Lex ad praeterita recte adplicetur.*

Per merum Legislatoris arbitrium stare, utrum nouae constitutiones ad praeterita pertineant, strenue contendit Imperator a) cui ad stipulatur Gregorius IX. Papa Romanus, b) sine dubio praeceminentia, auctoritate suprema, et praefertim commode et auaritia ductus. Duritiam eiusmodi opinionis, priuationem et amissionem juris, quondam per rem iudicatam quaesiti, sat acerbè efficientis, iam dudum animaduertunt Icti illorumque maximi. Ait enim Illustr. Dnus Cocceius, c) regulariter legem nouam tantum futuris, non vero praeteritis dandam esse, et addit, commentum esse, quod ex plenitudine potestatis jus, subditis quaesitum, auferri posset; quippe quod juri naturali absolute praecipuo et prohibitiuo repugnaret; neque homines statum ingressi sunt ciuilem, ut sua perdant jura, sed ut haec potius contra cuiuscumque turbationes, defendant et tueantur. Sic quoque Berlichius, d) legem nouam vel superuenientem ad praeterita minime esse extendendam, docet.

a) L. 7. C. de LL.

b) Cap. vlt. X. de Const.

c) Jure Controverso Tit. de LL. quaest. VIII.

d) Decif. aur. P. II, Dec. 159.

### §. XIV.




 §. XIV.

*Rationes, cur LL. ad praeterita iudicata, priuatorum iura mere concernentia, haud pertineant.*

Praescripsit enim Constantinus M. a) impetrata rescripta non esse admittenda, si decisae semel causae fuerint iudiciali sententia. Deinde Imperatores Theodos. et Valentinus b) recte protulerunt: dignam esse vocem Maiestate regentis, Legibus obligatum se principem profiteri; et in legibus nouioribus c) optime cautum, in medio litis non fieri sacras formas aut sacras iussiones, sed secundum antiquas leges generales lites decidi, ita ut si quis iudicum praesumerit, lites non secundum leges sed elicitia rescripta dirimere, istiusmodi sententias infirmas, et appellatione haud opus esse. Sancitum porro igitur est, d) si de qua causa praecesserit definitiua sententia, et prouocatio siue appellatio fuerit subsecuta, appellationis examinatores secundum leges, quae tempore definitiuae sententiae obtinebant, terminum dare negotio, nec rescriptis, contra ius impetratis, obtemperare. e)

a) L. ult. C. Sentent. rescindi non posse.

b) L. 4. C. de LL.

c) Nov. 113. Cuiacius ad hanc Nou.

d) Nou. 115. Cap. I.

e) L. 7. C. de precibus Imperatori offerend.

## §. XV.

*De Interpretatione authentica.*

Interpretationem authenticam ad praeterita trahi posse, communiter adseritur, a) quum prioris legis solum sit explica-  
tio



tio et declaratio. Pater vero, quam graue damnum et periculum alteri litigantium exinde enasci possit. Variis modis, nimirum vel motu proprio, vel ad implorationem iudicis, vel ad perita partium litigantium, eiusmodi interpretationem dari, constat. Ipsi Imperatoribus difficultates inde resultantes non incognitae fuerunt, hincque remedia nec non modos praescripserunt, ne authenticae alicui nociuae fiant interpretationes. Ratione interpretationis *motu proprio* factae nihil metuendum, quo certius est, aequali amore suos persequi subditos, censerit Principem. Eo maius autem est dubium, si interpretatio vel a iudice, vel a partibus impetratur authentica. Quod Imperatores itidem perspexerunt sapientissime, hincque in legibus abusu interpretationum authenticarum obices posuerunt. Ita Constantinus Imperator b) indulgit iudicibus, causam, quandocumque illis visum fuerit, Principi referre, addidit tamen, ne quid ad Imperatorem remittatur, nisi pleniori instructione indigeat, et consultationis exemplum siue copia a iudice partibus eum in finem illico edatur, vt, si cui forte relatio minus plena vel contraria videatur, is refutatorias preces, sine aliqua frustratoria offerre possit dilatione. Constituit porro Imperator, eiusmodi relationes appellandi facultatem neque adimere, neque iudicem debere litigantes istis terrere. Sed quum huiusmodi relationes in ansum dederint, causarum prorelationibus, c) et nihilo minus ius appellandi vtrique parti factum saluumque fuerit, tandem Iustinianus, eiusmodi iudicum et partium relationes in totum prohibuit. d) Recte itaque putatur, interpretationem authenticam, motu proprio factam, haud vero a iudice, vel partibus elicitam, ad praeterita solum pertinere; saltem alteri parti semper saluum manere

C

debere





debere ius, opponendi et iustificandi exceptionem sub et obreptionis. Multo minus tantum iudici indulgendum est, quantum eidem tribuit Boehmerus, e) permittum scilicet eidem in genere esse, ex iusta causa leges ita applicare, vt collisio cum vtilitate publica euitetur. Recte hinc monet b. Struben f) maius sine dubio exinde capere incommodum rempublicam. *Wollte, ita vir notissimus, man ihm (dem Richter) aber solche Gewalt beilegen; so könnte derselbe die Gesetze außer Acht lassen, so bald er vermeinet, daß dem Staat dadurch Vortheil geschäfft werde.* Rectius hinc Leyserus defendit, Principem tali casu a iudice adeundum esse, vt is ex iure supremo vtilitati prospiciat publicae. g)

- a) Hellfeld in Jurisprud. Forensi Edit, Secund. §. 21.
- b) L. 1. C. de Relationibus.
- c) Nou. 113. Cap. I.
- d) Nou. 125. Cap. I.
- e) In obseruationibus selectis ad Carpzouii practicam rerum criminalium Quaest. 125. Obseru. 2.
- f) *In seinen rechtlichen Bedenken Tom. II, Bedenken 117.*
- g) Spec. 641. Med. 10. seqq.

### §. XVI.

*Lex noua propter salutem publicam ex mente iuris Romani ad praeterita pertinet.*

Antecedente §. XI. iam dictum, magnam intuitu legis nouae differentiam intercedere, si sententia nudum ius et dominium priuatorum, aut commodum reipublicae eiusque statum et formam simul attingit. Priori casu legem nouam ad praeterita haud trahendam esse constat; posteriori vero res longe aliter



se habet. Sic enim a Iustiniano Imperatore damnantur, et plane improbantur contractus iudicum a) ita, ut et isti, qui ante eiusmodi legem initi sunt, non vituperentur solum, sed etiam donationes, et emtiones, huiusque farinae plures contractus ita interdican- tur, ut ista lex, etiam elapso quinquennio, ad praeterita extendatur et pertineat quam saluberrime.

a) L. vn. §. 4. C. de Contract. Iud. ubi sancitum est, illam legem nouam propter salutem publicam etiam ad praeterita trahendam venire. De limitatione huic legi addita, *nisi transactionibus vel iudicationibus sint sopita*, B. Brunnemannus in Commentario n. 15. *proh. dolor!* inquit, *et sane multa de hac re dici possent, sed materia haec ab usu recessit, teste Christianeo, et quotidiana experientia* —.

### §. XVII.

*Res iudicata lege noua propter salutem publicam euanescit.*

Aliter autem quodammodo sentit Ill. L. B. de Cramer a) contendens, leges, pendente lite latas, sententiae publicatae, ad effectum impediendi executionem, non obstare; addit tamen, nouam legem per modum restitutionis in integrum intra quadriennium, restitutioni praefixum, sententiae opponi posse; hoc autem temporis spatio effluxo, et non facta oppositione legis nouae per modum restitutionis in integrum, sententiam esse exequendam, ne rei iudicatae elusio fiat. Eiusmodi opinionem, in genere consideratam, singularem esse, quisque concedet; si tamen mediante distinctione, inter sententias, *iura et dominia priuatorum simpliciter concernentes*, et eas, *quae iura priuatorum, et utilitatem publicam, ac statum politicum simul attinent*,





accipiatur; assertis laudari auctoris nihil deest, ut potius tantum et excellentissimum ICRum nostrae aetatis, nec non beatum Dnum Wernherum b) habeamus nobiscum consentientem, ideoque nostram opinionem in sequentibus §§phis ulterius deducemus, et per exempla enucleabimus.

a) in obseruat. Iuris vniuersi Tom. II. Parte 2. Obseruat. 617.

b) P. X. Obseru. 390. ibi: *Frustra etiam auctoritas rerum iudicatarum, prioribus ordinationibus, quae iam mutantur, innixarum, obicitur, quippe quae, his antiquatis, adeoque fundamento, quod illos sustinuit, euerso, et ipsae corrunt ac porro: die auf den ersten Ordnungen gegründete iudicata auch, und das daher fließende ius quaesitum, ihre Kraft und Wirkung nicht länger haben können, als die Ordnungen an ihnen selbst in vigore bleiben.*

### §. XVIII.

*Rationes quare Sententiae, super obiectis, commodum et salutem priuatorum et reipubl. simul concernentibus, Legi nouae haud obstant, sed potius euanescent.*

Non desunt nobis argumenta sat stringentia, et euincencia, sententias, commodum priuatorum, et salutem reipublicae, nec non eius formam et statum simul concernentes, legi nouae haud obstare, sed potius per illam euanescere. Supra iam saepius dictum atque ostensum est, iura et dominia priuatorum, per se talia, si iam quaesita sint, nullatenus auferri posse. Longe aliter autem res se habet, si (I.) de iuribus quaerendis sermo est, quorum intuitu sanctio nova recte datur quam liberrime. (II.) Constat, ordinationem reipublicae, eiusque formae ac status, Principi ita competere, ut pro lubitu et bene placito constituere possit,



possit, quod ipsi aequum visum est, nisi pacta cum subditis contrarientur. (III.) Sententiae et leges differunt, ut effectus et causa, et lege cessante, cessat etiam sententia tamquam effectus, ita tamen ut *haecenus quaesita* commoda, ex lege et sententia priori nata, nemini eripiantur; bene tamen *futura* et adhuc *quaerenda*; horum nempe intuitu lex nova sequenda. (IV.) Res iudicata solum *litigantes*, haud vero Principem obligat, ex quo principio porro pronum fuit alio, ratione *adquirendorum* Principem constituere posse, quod illi liber, praesertim, si commodum et salus reipublicae intercedit. (V.) E contrario potestas et auctoritas Principum desineret ita, ut (VI.) nullae leges novae condi possent. (VII.) Quicumque iure et potestate legislatoria gaudet, ille etiam polleret iure, leges mutandi, iisdemque derogandi, hoc effectu, ut (VIII.), si lex mutetur, omnes ita sint soluti. a) ut nemini liceat, ad iura ex prioribus ordinationibus politicis, desuperque latis sententiis enata, et quaesita, provocare, ut potius Legislatori integrum sit, bono publico novis legibus prospicere. b)

a) Illustr. L. B. de Cramer in obseruat. Iuris vniuersi Tom. VI. Parte I. Observat. 1422. §. 6. 8.

b) Idem in den Wetzlarischen Nebenstunden Tom. 35. Abhandl. XI. Contrarium autem statuisse videtur Parte 38. pertractatione IX. Recenset enim ibidem litem, Lubecae coram iudicio inferiori motam, super competentia vendendi lignum, aedium extruendarum gratia comparatum, quam facultatem fabri lignarii ex prioribus sententiis et longaeua consuetudine priuatiue sibi debere contendebant. Hanc litem autem Amplissimus et Spectabilissimus Senatus Lubecensis in salutem publicam ita diri-





mere curam adhibuit, vt mediante nouo statuto vel decreto cui-  
 cunque cui emtionem et adseruationem ligni, ad aedificandum  
 afciati, vel afciandi, permetteret, hincque priores sententias  
 ac consuetudinem, haecenus obseruatam, e medio tolleret.  
 Ab isto decreto ad Cameram Imperii Celsissimam adpella-  
 bant fabri dicti lignarii, et discussa causa, victricem obtine-  
 bant sententiam. Si itaque decisa in parte 35. et 38. horarum  
 subcisiuarum Wetzlariensium conferantur, adparent sibi contra-  
 ria, quum ex parte 35. pateat, bono publico, contra priores sen-  
 tentias, lege noua prospici posse, in parte 38. autem, contra  
 eiusmodi nouum statutum, Lubecae publicatum, a Camera Im-  
 perii pronunciatum esse. Contradictio ad parens vero cessat,  
 modo trutinetur, dictum decretum Senatus Lubecensis a Camera  
 Imperii non pro *statuto nouo*, sed *nudo tantum deciso* litis ex  
 ea ratione reputatum esse, quum statuta sint leges conuentionales,  
 quae absque consensu omnium, quorum interest, rescindi, vel mu-  
 tari nequeunt. Sic nulla citatis decisionibus Camerae Imperii in  
 est contradictio; vt potius inde pateat, priora iudicata lege noua  
 infirmari, et intuitu Principis nouam legem condentis non iti-  
 dem, ac intuitu magistratuum, licet ciuitatum Imperii, subdito-  
 rum vel ciuium consensum desiderari ac requiri,

### §. XIX.

#### *Exempla quaedam illustrantia.*

Notabilissimum huius doctrinae exemplum prostat hodie in  
 Gallia. Regis enim auctoritate ibidem sunt sublata opificum,  
 nugiuendulorum, et aginantium collegia, licet eorum iura ha-  
 ctenus innumeris sententiis et pronunciatis fuerint munita, Suo  
 iure



iure Galliae Rex, ut quilibet legislator ac Princeps, usus est, nec eius sanctioni iudicata priora opponi potuerunt, quamuis editum regium Protocollo et Registraturae inserere detrectauerit Senatus Galliae, supremus, Parlement dictus, potius ista collegia reprobata ita inanifecta sunt, ut cum iis priora iudicata euauerint. Quo Specimine nullum, memorabilius inuenitur exemplum, tantorum collegiorum et indicatorum nunc simul rescissorum. Simili fere modo in Germania mercatorum prohibita sunt *collegia*, a) quamuis secundum leges, eousque usitatas, innixa fuerint tot indicatis. Animaduertet igitur vnusquisque, rem iudicatam super causis, *commodum publicum et priuatorum simul continentibus*, pronunciatam, legi nouae plane nihil detrudere. Insaniret certe, qui modo praesumeret, anteriores legi nouae obstare sententias. Hoc autem dubio caret, emolumenta, ex iudicatis prioribus usque ad legem nouam *iam iam quaesta*, instar fructuum perceptorum, illis, qui re iudicata hactenus gauisi sunt, ut b. f. possessoribus, irreuocabiliter competere.

- a) Francisci I. Imperatoris Romani Capitulatio Art. VII. §. 3. In nouissima Capitulatione Iosephi II. Imperat. gloriosissimi dictus Art. nullibi correctus reperitur, licet omissus sit, quod uerossimiliter ideo contingit, quum istiusmodi collegia nocua, et monopolis proxima, in legibus Imperii, praesertim politicis, iam sunt prohibita; quod indicant uerba Cap. nouiss. Art. VII. §. II. *die Polizey-Ordnungen, wie sie seyn, und noch ferner auf dem Reichstage geschlossen werden, Conf. §. 3. 4. ib.*





## §. XX.

*In Rebus politicis, bonum publicum concernentibus, secundum legem superuenientem, non priorem Pronunciandum.*

Antecedente §. XIV. dictum, appellationis examinatores, vi Nouellae ibidem citatae, non secundum legem superuenientem, sed anteriorem, quae tempore litis motae, et in priori instantia decisae, inualuit, pronunciare debere. Iam vero hic limitationem et exceptionem addimus, circa *causas politicas*, quae secundum legem nouiorem, eo certius sunt decidendae, quo certius illud ex principio, quod in huiusmodi causis iudicata priora propter legem, vel ordinationem nouam, euanescent (§. XVIII. et XIX.), aperte constar et consequitur.

## §. XXI.

*Communiones publica auctoritate contra iudicata priora recte tolluntur.*

Vtius haec illustratur doctrina exemplo, si tibi repraesentet casum, Principem intelligere et animaduertere, vnus praedii plures esse condominos, eorumque communione agri culturam, et incrementum fructuum magnopere impediri, idque in suo territorio quam saepissime euenire. Si igitur salutis publicae promouendae gratia, generaliter constituat Princeps, eiusmodi communiones valde nociuas esse tollendas, ita, vt condomini, quorum quisque ex *iudicatis* suas tenet partes, commode secundum regulas oeconomicas diuidant, aut, si hoc scopo superioris haud conueniat, alter iusto pretio emat, alter vendat. a) Quaeritur itaque



itaque, num eiusmodi legi saluberrimae, iudicata anteriora cum effectu opponi queant, licet quisque condominorum suum, vel in natura vel in aequipollente accipiat, et salus publica promoveatur? Patet autem, eiusmodi prouocationem ad priora iudicata esse praefractam, et bono publico contrariam, in se autem peruicaciam nullius valoris, cuiusque pertaesam. Suprema enim lex est salus publica, b) quae certe incremento frumentorum, iumentorum et armentorum augetur.

a) vid. Oeconomia Forensis, oder kurzer Inbegriff derienigen Landwirthschaftlichen Wahrheiten, welche allen sowol hohen als niedern Gerichtspersonen zu wissen nöthig. Berlin 1775. Tom. I. pag. 12.

b) Haec Facultas, inquit Grotius in Iure Belli ac Pacis Lib. I, Cap. I, §. 6. duplex est, vulgaris scilicet, quae usus particularis causa comparata est, et eminens, quae superior est vulgari, utpote communitati competens in partes, et res partium, BONI COMMVNIS CAUSA. Sic regia potestas sub se habet et patriam et dominicam potestatem: sic in res singulorum maius est dominium regis ad BONVM COMMVNE, quam dominorum singulorum, sic REI PVBLICAE quisque magis obligatur, quam CREDITORI.

## §. XXII.

*De Principe statuta politica tollente, corrigente,  
et emendante.*

Saepe numero etiam imploratur Princeps, ut legem, vel ordinationem anteriorem abroget, vel quoque statuta haud congrua reformet, siue corrigat. Priusquam eiusmodi petitis deferatur, Principes, gratia et indulgentia ducti, exigunt relationes,

D

quo





quo eo melius informati, bono publico prospicere possint. Quo facto nihil frequentius audacia, rem iudicatam, et ius inde quaesitum potestati legislatoriae opponendi, sicque etiam iura Principis, ut obiectum litis, discussioni partium, et sententiae iudicum, sat indigne et irreverenter subiiciendi et immiscendi, licet potestas legislatoria antea obiectum litis haud fuerit, et e contrario cuicumque, qui non det operam, ut cum ratione insaniam, notum sit, rem iudicatam solummodo litigantes, haud vero Principem, vel tertium constringere, et exceptionem rei iudicatae a reo, per sententiam iudicis absoluto, tantum, si denuo de eadem re et causa, et ab eodem actore, eodemque modo et fundamento, convenitur, opponi posse. a) Quae tamen exceptio, quum ne tertio quidem privato obijci queat, multo minus ad eum effectum obstabit Principi, ne lex nova condatur, neve statuta incongrua reformentur, vel corrigantur. Principis et legum minister est index, cuius pronunciata itaque potestati legislatoriae minus apte, ac inaniter obijciuntur. Eiusmodi allegationes rei iudicatae in regnis monarchicis, ut nuper in Gallia (§. XIX.) despiciuntur, in ditionibus Statuum imperii autem ut plurimum fiunt consilio, potestatem legislativam infirmandi, viamque appellationibus ad suprema Imperii Iudicia sternendi, licet summa Imperii Tribunalia secundum constitutiones, et consuetudines Statuum pronuncient. b) Appellantes igitur Principum et Statuum potestatem legislativam, consilio certe pessimo, in disceptationem et quaestionem vocare ac deducere conantur, et sub specie rei iudicatae, iura territorialia subvertendi, operam navant, nec vindictam promeritam metuunt.

a) Illustr. Hellfeld in Jurisprud. Forensi Tit. de except. rei iudicatae. §. 1889.

b) Ord-



b) Ordinat. Cam. Imp. d. a. 1495. §. 3. ibique in formula iuramenti Celsissimi Iudicis et Assessorum Camerae Imper. verbis: *Auch nach redlichen ehrbaren und leidlichen Ordnungen, Statuten, und Gewohnheiten der Fürstenthum, Herrschaften und Gericht — — — gleich zu richten.* Ordinat. Cam. Imp. de a. 1555, Part. I. Tit. 57. verb. *und nach redlichen ehrbaren, und landischen Ordnungen Statuten und Gewohnheiten der Fürstenthümer gleich zu richten.*

Capit. Iosephi II. Imp. Rom. gloriosiss. Art. I. §. 2. 4. 9. item Art. VII. §. 4. *Licet enim formula iuramenti, quod Dni, Consiliarii Imp. aulici Illustr. atque excellentiss. praestant, (vid. Dni de Senckenberg Sammlung der Reichs-Abschiede in appendice siue Zugabe ad Partem IV. pag. 74.) non contineat, dictos Consiliarios aulicos constitutionibus Principum et statuum conformiter pronunciare debere, atamen in I. P. O. Art. V. §. 34. expresse cautum.* »Quoad processum iudicarium ordinationem Camerae imperialis etiam in iudicio aulico servari PER OMNIA. Pro more suo eleganter hac de re differuit b, Vice Cancellarius Struben in seinen rechtlichen Bedenken Tom. III. Bedenken 84. *Vielsältig sind in Teutschland Landesgesetze mit der Stände Rath und Bewilligung verfasst, weswegen die Frage entsteht: Ob in solchen Ländern ohne derselben Gutbefinden der Landesherr nichts neues verordnen könne? Meines Ermessens mag man dieses gemeiniglich nur behaupten, wenn etwas, der Stände und des Volks in den Reichsconstitutionen oder besondern Verträgen und Privilegien gegründeten unwiederrusslichen Rechten zu wiederlaufendes eingeführt werden soll. — — — Macht aber die Landesherrschaft in der Absicht, das gemeine Beste zu besodern, Verjüngungen, welche niemandens unwiederrussliche Rechte schmälern,*





lern, die Landstände zögen iedoch deren Nutzen in Zweifel, und wiederriethen die Neuerung, alsdann ist der Landesherr verbunden, ihren Rath zu folgen.

### §. XXIII.

#### *Judicata Caesarea non obstant nouis Principum Constitutionibus.*

Ex principio, quod nimirum summorum sit Imperii Tribunalium, secundum constitutiones ac statuta Principum et Statuum, sententias ferre et pronounciare, sequitur omnino, dicta suprema Tribunalia solum vicibus iudicum fungi, potestatem vero legislatariam Principibus et Imperii Statibus, vti antea, sic et post, saluam, sartam, atque tectam esse. Aliter enim se habent partes iudicis, aliter legislatoris. a) Si igitur contingit, vt causae vel lites, dominia et iura priuatorum non per se talia, sed etiam statum publicum, eiusque ordinationem ac formam concernentes, ad summa Imperii Tribunalia mediante appellatione trahantur, ibique decidentur; nihilo minus Principibus et Statibus integrum est, etiam contra decisa caesarea, constitutionibus et statutis, haectenus, et eo vsque valentibus conformiter pronounciata, nouas ordinationes promulgare, nouumque ordinem et formam in suis territoriis introducere, sicque iudicata caesarea secundum leges priores data, infirmare. Caueas tamen, ne persuasum tibi habeas, idem obtinere ratione iudicatorum, quae dominia et iura priuatorum per se talia attinent. Ratione horum supra iam dictum, vnicuique priuato ius esse quaesitum irrenocabile, quod nec summa potestas auferre potest. Et ita sentiant suprema Imperii Tribunalia, b)

a) Iudici



a) Iudici hoc nunquam permissum est, ne quidem in causis ad politiam pertinentibus, vnicō forte excepto casu, frangentis necessitatis; quo quidem ipsi licet, sub spe ratihabitionis, a Principe impetrandae, politiam decreto interimistico temperare. Vid. *Heumann* in initiis iuris politiae Germanorum cap. 6. §. 39. de *Iusti Grundsätze der Policy-Wissenschaft* pag. 284. 285.

b) L. B. de Cramer in horis subcisiuis Wetzlariensibus P. VI, quaest. 1. sic inscripta: *Ob vnd in wie ferne das Abzugs-Geld, wenn es in einem Orte, oder Lande, bis daher nicht eingeführet, noch erhoben worden, per nouum statutum eingeführet werden könne?* Docet more solito ibidem quam doctissime, gabellam siue decimas, tam in casu emigrationis, quam hereditatum delatarum, vi iuris superioritatis territorialis, et retorsionis, introduci posse; licet antea libertate naturali quisque gaudens, inque ea iudicialiter defensus fuerit. *Emigrantes enim, inquit, amittunt priuilegia ac iura ciuitatis, qua exeunt, quamque relinquunt, nec libertatem, subditis solum competentem, sibi possunt arrogare. Nec tempus condendi nouas ordinationes contra Principem praescribitur. Et sic porro.*

## §. XXIV.

### De Priuilegiis.

Sicuti autem posita ex oppositis commode, et saepe melius illustrantur, ita non abs re erit, diuerticulo quasi in doctrinam de priuilegiis abire. Quo liberior enim Princeps est *legibus*, eo certius illum tenent *priuilegia*. Promissis enim vt steretur necesse est, et prout ab initio voluntatis erat, num Princeps priuilegium vel gratia, vel titulo oneroso alicui impertire veller nec ne? ita illum semel datis ac indultis satisfacere oportet, salua autem expressa reuocatione ad beneplacitum concessorum, Noua igitur

D 3

lege





lege in se non subuertuntur priuilegia. a) Semper tamen intelliguntur saluo imperio haud alienabili, saluisque iuribus superioritatis territorialis, b) saluaque suprema inspectione, ne istis abutantur subditi. c)

a) Vberius hoc illustrauit, ad quem me refero, Daus de Leifer Spec. X. Med. V.

b) Quantacunque enina latitudine priuilegia Principis interpreteris, eousque tamen illa extendenda non sunt, vt potestatem eius summam, et iura regalia imminuant. vid. de Leyfer Spec. X. Med. IV.

Optimo ergo iure Princeps lege noua limitat priuilegia in eommodum eorum, quibus concessa sunt, conf. saepe laudatus Struben Tom. III. *Bedenken* 139.

c) B. Mev. P. VII. Dec. 306. in notis fat aureis, et relectione dignissimis, nec non ediscendis, Abundat praeterea ius commune exemplis, abusibus subueniendis sic minoribus, deuentibus, prodigijs etc. rerum suarum interdicta est administratio, alienatio et dispositio.

### §. XXXV.

#### *Exempla ex iure Romano recensita.*

Supra iam demonstratum est, rem inter priuatos indicatam Principi haud obstare, quominus bono publico consulere possit. Si insuper ex iure communi Romano exempla desiderentur, nec ad nostra tempora, in quibus iura Principum Imperii magis, quam olim, acuo Praesidum prouinciarum, e legibus fundamentalibus et instrumento pacis, nec non capitulationibus, siue promissis caesareis elucēt, respiciatur, recurrendum tantummodo est ad interdicta, *ne quid in loco publico, itinere, fluminibus, litto-ribus et ripis fiat.* Ex quibus omnibus patet, ista loca publica priuatis quidem vsibus inferuire, priuatosque etiam contra offenso-

res,



res, auctore Praetore, esse defendendos, et sententiis defensos fuisse; at tamen ipsa lex Romana illam limitationem egregiam addit, a) ut aqua ex flumine publico duci queat, nisi Imperator aut senatus vetet. Ergo ipsum ius commune Romanum Imperatori, et hinc nostris Principibus et Statibus imperii, aemulo iure maiestatico gaudentibus, indulget facultatem propter salutem publicam, et a priori re iudicata, inter priuatos lata, recedere. Aequè notatu dignum exemplum Praetores Romani b) prorulerunt; quum declarauerint, se interdictum non esse daturus, si edicto, decretoue Principis concederetur, quod lege prohibitum erat. Et hoc minus igitur hodie Principibus nostris eadem potestas, qua gaudent Imperatores, est deneganda, quo certius in suis territoriis eodem, quo vtuntur Imperatores in imperio, iure fruuntur.

a) L. 2. D. de fluminibus.

b) L. 1. pr. D. ne quid in loco publico.

### §. XXVI.

*De sententiis iudicum et magistratum in causis, ad iurisdictionem territorialem pertinentibus.*

Contingit etiam, vt in admissis contra superioritatem territorialem, dignitatem et priuilegia Principis, a magistratibus municipalibus, iurisdictione ciuili et criminali pollentibus, ferantur sententiae vel absolutoriae vel condemnatoriae. Queritur itaque, num eiusmodi sententiae Principem adstringant vel non? Negatiuam responsionem obtinere, certum est. a) Distinguedum enim est I) inter iurisdictionem territorialem et illam, quae iudicibus et magistratibus in causis priuatorum concessa est. II) Notandum, quemcunque iudicem suam, quam tenet iurisdictionem, meri debere, hincque III) Principem ipsum ea, quae

ad



ad imminuendam eius dignitatem, et potestatem sunt facta, vindicare, ita, vt sententiæ magistratum municipalium, super eiusmodi obiectis latae, intuitu Principis non nullitate solum laborent, sed etiam instar violationis iurisdictionis territorialis habeantur, atque puniantur.

a) Illustr. F. E. Pufendorf in Tr. de iurisdic. german. P. II, Sect. I. Cap. vnico, vbi egregie docuit, a Principe vi iurisdictionis territorialis, haud vero a magistratibus municipalibus vindicari crimina, in Principem admissa; e. g. oppositiones, seditiones, violationes edictorum, priuilegiorum et protectionum, etc. etc. Caueant igitur magistratus municipales, ne istiusmodi obiectis se immisceant, aut iurisdictionem, alias omnimode competentem, seu ius de non euocando obiciant, ne ipsi vt contemptores superioritatis territorialis puniantur. Quibus omnibus adstipulatur Illustr. Dnus de Westphal in Dissert. de indole practica iuris Lubecensis in ciuitatibus Mecklenburgicis §. V. hisce verbis: »Iurisdicção concessa frustra, et iniuriose porrigitur ad iura superioritatis et Principum potestatem. Haec enim quae laedunt, aut imminuunt, non possunt esse sine Principis adsensu valida. Hoc enim rationi aduersum est, concedere ciuitatibus dispositionem, Principis iurisdictioni contrariam, et derogantem. Hoc superat iura eius, hoc tanquam turbatio iuris superioris punitur.«

Not. I. Quibus omnibus addenda haec obseruatio. Illustr. Dnus de Westphal in laudata dissertatione saepenumero adstruxit, ius Lubecense esse *ius receptum* in ciuitatibus Megapolitanis, et ciuitates gloriari *receptionem* iuris Lubecensis eiusque indolem, ex concessione et diplomatibus Principum. Ex mente et verbis tanti Viri itaque patet, ideam *iuris recepti* non nisi illa limitatione, quod nimirum Principes Megapolitani statuta Lubecensia *tunc temporis*



*temporis usitata*, ciuitatibus suis instar legis dederint vel receperint, admittendam esse. Receptio enim iuris peregrini praesupponit statum, vel Principem liberum, potestate legislatoria gaudentem; a cuius arbitrio pendet, vtrum ipse legem condere et subditis dare, an illis legem peregrinam praescribere velit. Subditis itaque receptio iuris peregrini neque competit, neque tribui potest. Minus recte igitur B. Meuius, in quaestione 2da praeliminari commentarii ad ius Lubecense, putat, dictum *ius a ciuitatibus esse receptum*.

*Not. 2.* Vi superioritatis territorialis, et potestatis legislatoriae, a Principibus ius Lubecense instar legis *habita*e et *habenda*e praescriptum est, et quo certius Principes propterea vsi fuerunt liberissima legum ferendarum potestate, eo minus ex eiusmodi praescriptione, vel sanctione privilegium ad eum finem effingi potest, ac si Principi integrum haud esset, pro lubitu ius Lubecense tollere, nouasque constitutiones in ciuitatibus promulgare. Cuius enim est dare, illius etiam est abrogare leges. Si testimonio opus foret in re satis clara et perspicua, suppeditaret illud vir immortalis memoriae Dn. de Westphalen, in diss. de indole practica iuris Lubecensis in ciuitatibus Mecklenburgicis §. 13, vbi ita: *Fluit inde primo, quod a Principe hoc ius introductum, et ciuibus indultum sit, salua potestate legislatoria et territoriali*. Sermonem ibi, de iure Lubecensi, alicui ciuitati municipali concessio, esse, ipse docet intuitus.

*Not. 3.* Fuit autem Ius Lubecense variis vicissitudinibus obnoxium, et muta, vt principio ex simplicibus tantum propositionibus regulisque instar Legum XII. Tabularum consisterit, quam antiquam formam viderelicet in monumentis ineditis laudati Dni de Westphal. Hoc ius Lubecense vetustum Saec. XIII, et XIV. a Principi-

E. . . . . bus





bus Megapolitanis receptum, et subditis datum, deinde vero circa finem Saec. XVI. compilatum et auctum est, prout nunc proficit. Quaeritur itaque hodie, quodnam ius pro vere recepto datoque aestumandum sit, et num in ciuitatibus vetus illud ius Lubecense, prouti receptionis tempore comparatum erat, an illud, quod deinde compilatum auctumque est, valeat? Illustris Dnus Mantzel, Serenissimi Ducis Megapolitani Consiliarius Cancellariae, et Consistorii, nec non Professor celeberrimus, in *Iure Mecklenburgico et Lubecensi illustrato Centur. III. Iudic. I.* adduxit sat stringentes rationes. Rostochii ius Lubecense vetus tantum obtinere, praesertim in materia de successione; e contrario autem alii putant, quaestionem: num scilicet dictum ius Lubecense nouius Rostochii valeat? primo intuitu quidem negandam, attamen ideo potius esse affirmandam, quia in diplomate Serenissimi verba: *Ius Lubecense habitum nunc et habendum*, legerentur. Dictum autem diploma quoad passum concernentem haec verba continet: *Lubecensis iuris BENEFICIO HABITO nunc et HABENDO stabilientes confirmamus.* Quis igitur non videt haec verba diplomatis magis indigitare, Boruino Principem Megapolensem tantum statuisse, incolas seu ciues Rostochienfes beneficio iuris Lubecensis, prout *ipsis a Principe datum et praescriptum erat*, statim ac in posterum, uti ac frui debere, Boruino autem mentem nec fuisse, nec esse potuisse, subditis suis leges in posterum a peregrinis ferendas, hinc Principi plane incognitas, indulgendi. \*) Sicuti enim eiusmodi haud praesumenda est Legislatio vacillans, dubia et nocua, ita etiam ius Lubecense, ex post facto compilatum, prouti exempla prostant, eminentioribus Dicasteriis Ducalibus non aliter ratio fuit decidendi, quam, quatenus veteribus Lubecensium statutis conuenit atque responderet.

\*) Verba



- \*) Verba Privilegii, a Principe Borwino vrbi 1218. concessi, ita nec aliter concepta esse videre licet ex scripto publico, cui titulus est, *der Landes-Fürst in Rostock, aus Macht- und Gnaden-Briefen Tom. I. Vrkunde 2.* Genuinam quoque, scriptum hoc, publica auctoritate diuulgatum, ficit explicationem vocum, *habito et habendo*, roto caelo diuersam, ab ea, quam alii exhibent: Zu einer, ita ibidem pag. 38. legitur, *mehr historischen vnd brauchbaren Erklärung des beneficij iuris Lubecensis habiti gereicht inzwischen diese Anmerkung: daß Fürst Pribislaw schon im Jahr 1172. vnd also 2 Jahr nach Erbauung der Stadt Rostock den dafgen Bürgern die Macht gegeben hatte, einen Stadt Rath nach Form vnd Art der Stadt Lübeck zu bestellen. Aus dieser Vr-sache hieß es in der Vrkunde vom Jahr 1218, beneficio iuris Lubecensis habito.*

## §. XXVII.

### C o n c l u s i o.

Vteriori pertractatione iam supersedeo. Mens enim mihi tantum fuit, quasdam proponere meditationes. Harum autem intuitu, quo magis omnibus satisfaciam, sequentibus, Viri quondam doctrina conspicui. a) verbis vti, iisque finem labori imponere liceat: *Nullius in iniuriam, vel praeiudicium aliquid dictum volo. —. Libertate dicendi ea usus sum, quam in communi quasi commercio esse nouimus. Priuatus priuatim meam sententiam depromsi, quae, si veritati consentanea, neque alios offendet; si erronea, neque aliis dissentientibus suffragium extorquebit. De caetero reductionem huius scripti, ad doctiorum et prudentiorum virorum arbitrium patior lubentissime.*


- a) Andr. Ockel in Tract. de praescriptione immemoriali ibique in praefatione.



PRAENOBILISSIMO  
ATQVE  
ERUDITISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO  
QUAEVIS FAVSTA APPRECATVR  
PRAESES.



*N*ulla re magis laborat iurisprudentia et forum, quam sterilitate bonarum mentium. Eo magis et Reipublicae, et Patri Tuo, Fautori ac Amico meo Honoratissimo gratulor de Viro tam virtutis, quam doctrinae laude dignissimo. Ante biennium venisti ad hanc Academiam, et stitisti Te per examen rigorosum talem ex asse, qualem statuta Collegii optant, desiderant. Nec ullus dubito, quin laudem ingenii et eruditionis hoc, ad disputandum proposito specimine inaugurali, inuenturus sis. Pauciora, immo paucissima sunt, quae dispersi, ne turbarem circulos Tuos, quos scite ordinasti. Plura non habeo, quae moneam, hinc unicum hoc addo: Efflorescas in Patriae commodum, Tuorumque decus pariter, ac ornamentum; me vero amore Tuo prosequi non nolis in posterum, neque cesses. Vale. Dabam Buetzovii die 1. Septembris 1776.





vd18

ULB Halle  
005 353 157



3

*slr*











Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

15  
Pratz. num. 62  
9  
1776 3  
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
SISTENS  
MEDITATIONES QUASDAM  
DE  
SENTENTIIS ET RE IUDICATA.

INTUITU  
PRINCIPIS AC LEGIS NOVAE.

QVAM  
AVCTORITATE INCLYTAE FACVLTTATIS IURIDICAE  
IN ACADEMIA BVETZOVIENSI

PRAESIDE

DNO. IOANNE MATTHIA MARTINI,  
I. V. D. ET PROFESSORE P. O.,  
SERENISS. DVICIS MEGAPOL. A CONSIL. IVSTITIAE,  
ORDINIS IURIDICI SENIORE ET AD HVNC  
ACTVM DECANO

P. 484.  
PRO OBTINENDIS  
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

DIE VI. SEPTEMBRIS MDCCLXXVI.  
HORA ET LOCO CONSVETIS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
ADOLPHVS DIETERICVS WEBER,  
ROSTOCHIENSIS  
I. V. C. ET DVCALIS CANCELLARIAE ROSTOCH.  
ADVOCATVS ORDINARIVS.

BVETZOVII,  
MDCCLXXVI.